



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Simon & Ivdas Ap. 28. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

deludere, ut veluti fascinatus catenâ aureâ, & se & amicos illigatos venienti ELESBAANO objiceret, quos quidem victoriæ hic sacrificaturus eodem ferro omnes immolavit. Sed nunc triumphum specta Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hierosolymâ missâ, ELESBAANVS saccum non togam palmatam indutus, & solus obscurâ nocte in montem proximum ducit; casam non Capitolium subit; vota victor vovet nunquam inde egrediendi; jamque triumphales epulas pane nudo, herbis ac fontanâ continuat, nulli hominum visus, unî sibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed sic triumphanti cælum applausit. *Ex Metaph.*

SS. SIMON & IVDAS AP.

28. *Octobris.*

Vbi primùm debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò moventibus, SIMON in Ægyptum, IVDAS verò THADDÆVS frater SIMONIS in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis, in Perside copias junxerunt, missâque iterum sub jugum CHRISTI innumerâ multitudine, demùm uno eodemque tempore de morte ambo fratres triumpharunt, quod spectaculum ne Romæ quidem toties triumphanti obtigit.

Pp. 4 Porro

Porro IVDAS dudum antè Regè Edef-
 ſæ adiit Abagarū (is eſt qui olim Chri-
 ſtum, cū in vivis adhuc ageret, per
 amicas literas in regni ſocietatem evo-
 cavit) telam ferens, in quā vultum ſui
 quam ſimillimum Servator expreſſerat,
 munus profeſſo eſſi ipſum artificem
 ſuum non referret, ab artificis certè
 manu quā maxime commendandū.
 Hoc ubi cubiculo decumbentis Regis
 fuit illatum, locum ilicò omnem inuſi-
 tatā luce complevit, mox aſpectu ſuo
 Abagarum à morbo recreavit, tactu ve-
 rò perſanavit etiam. In ſacris undis cum
 omni aulā ſuā ablutus imaginem con-
 ſpicio loco venerandam propoſuit, ipſe
 epigraphen, literis auro liventibus, in
 hunc ſenſum adiecit: *Spes nulli unquam
 imponit, quam quis in te Chriſte ponit.*
 Rectè, ais, Dei effigiem in honore Aba-
 garus habuit. Tecum ſentio. Sed nego
 illos hodie rectè facere, qui vivos Dei
 vultus, animos inquam perturpare per
 ſummam injuriam non verentur. Ex
Constant. Porphyr, Hieron.

S. NARCISSVS EP. 29. Octobri.

FLorere ſibi videbatur Ieroſolyma,
 cū NARCISSVM haberet Ponti-
 ficem odore virtutis chariſſimum pa-
 triæ & acceptiſſimum. Sed ex tam pul-
 chro flore peſſima aranea invidia vene-
 num ſibi ſuxit. Terni & ex mendaciis
 com-